

# Sallust's *Bellum Catilinae*

Second Edition

Edited, with Introduction  
and Commentary,

by  
J. T. Ramsey

OXFORD  
UNIVERSITY PRESS

2007

How to order:

By phone: (800) 451-7556

By fax: (919) 677-1303

By mail: Order Dept.  
Oxford University Press  
2001 Evans Road  
Cary NC 27513 USA

By web: [www.oup.com/us](http://www.oup.com/us)

Shipping: Shipping and handling for U.S. orders is \$5.25 for the first book, and \$1.50 for each additional book. Residents of CA, NC, WA, and WI must include sales tax.

All sales are subject to acceptance by Oxford University Press at its offices in Cary, NC.

## *BELLUM CATILINAE*

### **The Intellect Distinguishes Men from Beasts**

1. <sup>1</sup>Omnis homines qui sese student praestare ceteris animalibus summa ope niti decet ne vitam silentio transeant veluti pecora, quae natura prona atque ventri oboedientia finxit. <sup>2</sup>Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est. <sup>3</sup>Quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere et, quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam nostri quam maxime longam efficere. <sup>4</sup>Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara aeternaque habetur.

### **The Intellect is not Self-sufficient**

<sup>5</sup>Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet. (<sup>6</sup>Nam et prius quam incipias consulto et, ubi consulueris, mature facto opus est. <sup>7</sup>Ita utrumque per se indigens alterum alterius auxilio eget.)

### **Success in War and Peace Depends upon the Intellect**

2. <sup>1</sup>Igitur initio reges—nam in terris nomen imperi id primum fuit—divorsi, pars ingenium, alii corpus exercebant; etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant. <sup>2</sup>Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbis atque nationes subigere, lubidinem dominandi causam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare, tum demum periculo atque negotiis compertum est in bello plurimum ingenium posse. <sup>3</sup>Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita ut in bello valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent, neque aliud alio ferri neque mutari ac misceri omnia cerneret. <sup>4</sup>Nam imperium facile eis artibus retinetur quibus initio partum est. <sup>5</sup>Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur. <sup>6</sup>Ita imperium semper ad optimum quemque a minus bono transfertur.

### **Bodily Pleasures are Ephemeral**

<sup>7</sup>Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. <sup>8</sup>Sed multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transiere. Quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo, quoniam de utraque siletur. <sup>9</sup>Verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit. Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.

3. <sup>1</sup>Pulchrum est bene facere rei publicae, etiam bene dicere haud absurdum est; vel pace vel bello clarum fieri licet; et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. <sup>2</sup>Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequitur scriptorem et auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere: primum, quod facta dictis exaequanda sunt; dehinc, quia plerique, quae delicta reprehenderis, malivolentia et invidia dicta putant; ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit.

#### Sallust's Ambition for Political Advancement

<sup>3</sup>Sed ego adulescentulus initio, sicuti plerique, studio ad rem publicam latus sum, ibique mihi multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigeant. <sup>4</sup>Quae tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur; <sup>5</sup>ac me, cum ab relicuorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem qua ceteros fama atque invidia vexabat.

#### Sallust Leaves Politics to Write Roman History

4. <sup>1</sup>Igitur, ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit et mihi relicuam aetatem a re publica procul habendam decrevi, non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere, neque vero agrum colundo aut venando, servilibus officiis, intentum aetatem agere; <sup>2</sup>sed a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat eodem regressus, statui res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere; eo magis quod mihi a spe, metu, partibus rei publicae animus liber erat. <sup>3</sup>Igitur de Catilinae coniuratione quam verissime potero paucis absolvam; <sup>4</sup>nam id facinus in primis ego memorabile existimo sceleris atque periculi novitate. <sup>5</sup>De cuius hominis moribus pauca prius explananda sunt quam initium narrandi faciam.

#### Sketch of Catiline

5. <sup>1</sup>L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. <sup>2</sup>Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. <sup>3</sup>Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae, supra quam cuiquam credibile est. <sup>4</sup>Animus audax, subdolos, varius, cuius rei lubet simulator ac dissimulator; alieni adpetens, sui profusus; ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. <sup>5</sup>Vastus animus inmoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. <sup>6</sup>Hunc post dominationem L. Sullae lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae, neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. <sup>7</sup>Agitabatur magis magisque in dies

animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque eis artibus auxerat quas supra memoravi. <sup>8</sup>Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

#### **Digression on Early Roman History**

p.29

<sup>9</sup>Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis instituta maiorum domi militiaeque, quomodo rem publicam habuerint quantamque reliquerint, ut, paulatim immutata, ex pulcherruma <atque optuma> pessuma ac flagitiosissima facta sit, disserere.

#### **Foundation of Rome**

6. <sup>1</sup>Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani qui, Aenea duce profugi, sedibus incertis vagabantur, cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. <sup>2</sup>Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est quam facile coaluerint: <ita brevi multitudo diversa atque vaga concordia civitas facta erat.>

#### **Growth under Monarchy. Transition to Republic.**

<sup>3</sup>Sed postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. <sup>4</sup>Igitur reges populique finitimi bello temptare, pauci ex amicis auxilio esse; nam ceteri, metu perculsi, a periculis aberant. <sup>5</sup>At Romani, domi militiaeque intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam parentesque armis tegere. Post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. <sup>6</sup>Imperium legitimum, nomen imperi regium habebant. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, rei publicae consultabant; ei vel aetate vel curae similitudine patres appellabantur. <sup>7</sup>Post, ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae rei publicae fuerat, in superbiam dominationemque se convortit, inmutato more annua imperia binosque imperatores sibi fecere; eo modo minime posse putabant per licentiam inolescere animum humanum.

#### **Virtue and Bravery in Post-regal Period**

7. <sup>1</sup>Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere magisque ingenium in promptu habere. <sup>2</sup>Nam regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque eis aliena virtus formidulosa est. <sup>3</sup>Sed civitas incredibile memoratu est adepta libertate quantum brevi creverit; tanta cupido gloriae inceserat. <sup>4</sup>Iam primum iuventus, simul ac belli patiens erat, in castris per

laborem usum militiae discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviiis lubidinem habebant. <sup>5</sup>Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidulosus; virtus omnia domuerat. <sup>6</sup>Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat; se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici dum tale facinus faceret, properabat; eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant. Laudis avidi, pecuniae liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant. <sup>7</sup>Memorare possum quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

p.30

#### **Fame of Exploits Depends upon Talent of Recorders**

**8.** <sup>1</sup>Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque. <sup>2</sup>Atheniensium res gestae, sicuti ego aestumo, satis amplae magnificaeque fuere, verum aliquanto minores tamen quam fama feruntur. <sup>3</sup>Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. <sup>4</sup>Ita eorum qui fecere virtus tanta habetur, quantum eam verbis potuere extollere praeclara ingenia. <sup>5</sup>At populo Romano numquam ea copia fuit, quia prudentissimus quisque maxume negotiosus erat; ingenium nemo sine corpore exercebat; optumus quisque facere quam dicere, sua ab aliis bene facta laudari quam ipse aliorum narrare malebat.

#### **Early Moral Excellence**

**9.** <sup>1</sup>Igitur domi militiaeque boni mores colebantur; concordia maxuma, minima avaritia erat. Ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. <sup>2</sup>Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. <sup>3</sup>Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat aequitate, seque remque publicam curabant. <sup>4</sup>Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in bello saepius vindicatum est in eos qui contra imperium in hostem pugnaverant quique tardius revocati proelio excesserant, quam qui signa relinquere aut pulsati loco cedere ausi erant; <sup>5</sup>in pace vero quod beneficiis magis quam metu imperium agitabant, et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant.

#### **Removal of External Threat Introduces Moral Decline**

**10.** <sup>1</sup>Sed ubi labore atque iustitia res publica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac miscere omnia coepit. <sup>2</sup>Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, eis otium divitiaeque, optanda alias, oneri miseriaeque fuere. <sup>3</sup>Igitur primo pecuniae, deinde imperi cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere. <sup>4</sup>Namque avaritia fidem, probitatem ceterasque

artis bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. <sup>5</sup>Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare; magisque voltum quam ingenium bonum habere. <sup>6</sup>Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari; post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas inmutata, imperium ex iustissimo atque optumo crudele intolerandumque factum.

#### **Ambition Leads to Corruption**

**11.** <sup>1</sup>Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat, quod tamen vitium propius virtutem erat. <sup>2</sup>Nam gloriam, honorem, imperium bonus et ignavos aequae sibi exoptant; sed ille vera via nititur, huic, quia bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. <sup>3</sup>Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ea, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat; semper infinita, insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur. <sup>4</sup>Sed, postquam L. Sulla, armis recepta re publica, bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere, neque modum neque modestiam victores habere, foeda crudeliaque in civis facinora facere. <sup>5</sup>Huc accedebat quod L. Sulla exercitum quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat. Loca amoena, voluptaria facile in otio ferocis militum animos molliverant. <sup>6</sup>Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. <sup>7</sup>Igitur ei milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil relicui victis fecere. <sup>8</sup>Quippe secundae res sapientium animos fatigant; ne illi corruptis moribus victoriae temperarent.

p. 31

#### **Greed Accelerates Decline**

**12.** <sup>1</sup>Postquam divitiae honori esse coepere et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci coepit. <sup>2</sup>Igitur ex divitiis iuventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere; rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere. <sup>3</sup>Operae pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum quae nostri maiores, religiosissimi mortales, fecere. <sup>4</sup>Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant; neque victis quicquam praeter iniuriae licentiam eripiebant. <sup>5</sup>At hi contra, ignavissimi homines, per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissimi viri victores reliquerant: proinde quasi iniuriam facere, id demum esset imperio uti.

#### **Extravagances in Present Age**

**13.** <sup>1</sup>Nam quid ea memorem quae nisi eis qui videre nemini credibilia

sunt, a privatis compluribus subvorsos montis, maria constrata esse?  
<sup>2</sup>Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae; quippe quas honeste habere licebat abuti per turpitudinem properabant. <sup>3</sup>Sed lubido stupri, ganeae ceterique cultus non minor incesserat: viri muliebria pati, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi causa terra marique omnia exquirere, dormire prius quam somni cupido esset, non famem aut sitim, neque frigus neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. <sup>4</sup>Haec iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. <sup>5</sup>Animus inbutus malis artibus haud facile lubricinibus carebat; eo profusius omnibus modis quaestui atque sumptui deditus erat.

#### **Corrupt Society Furnishes Catiline with Many Followers**

**14.** <sup>1</sup>In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se tamquam stipatorum catervas habebat. <sup>2</sup>Nam quicumque inpudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene, bona patria laceraverat, quique alienum aes grande conflaverat quo flagitium aut facinus redimeret, <sup>3</sup>praeterea omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti iudiciis aut pro factis iudicium timentes, ad hoc quos manus atque lingua periurio aut sanguine civili alebat, postremo omnes quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, ei Catilinae proximi familiaresque erant. <sup>4</sup>Quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat, cottidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. <sup>5</sup>Sed maxime adolescentium familiaritates adpetebat; eorum animi molles etiam et fluxi dolis haud difficulter capiebantur. <sup>6</sup>Nam ut cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumptui neque modestiae suae parcere dum illos obnoxios fidosque sibi faceret. <sup>7</sup>Scio fuisse nonnullos qui ita existumarent, iuventutem quae domum Catilinae frequentabat parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis quam quod cuiquam id compertum foret haec fama valebat.

p. 32

#### **Catiline's Early Crimes**

**15.** <sup>1</sup>Iam primum adolescens Catilina multa nefanda supra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae, alia huiusmodi contra ius fasque. <sup>2</sup>Postremo captus amore Aureliae Orestillae, cuius praeter formam nihil umquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta aetate, pro certo creditur necato filio vacuum domum scelestis nuptiis fecisse. <sup>3</sup>Quae quidem res mihi in primis videtur causa fuisse facinus maturandi. <sup>4</sup>Namque animus impurus, dis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat; ita conscientia mentem excitam vastabat. <sup>5</sup>Igitur colos ei exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie voltuque vecordia inerat.

### Youthful Followers of Catiline

16. <sup>1</sup>Sed iuventutem quam, ut supra diximus, inlexerat, multis modis mala facinora edocebat. <sup>2</sup>Ex illis testis signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula vilia habere, post, ubi eorum famam atque pudorem adtriverat, maiora alia imperabat. <sup>3</sup>Si causa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontis sicuti sontis circumvenire, iugulare; scilicet ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. <sup>4</sup>His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod aes alienum per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores, civile bellum exoptabant, opprimundae rei publicae consilium cepit. <sup>5</sup>In Italia nullus exercitus; Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat; ipsi consulatum petenti magna spes; senatus nihil sane intentus; tutae tranquillaeque res omnes; sed ea prorsus opportuna Catilinae.

### Gathering of Catiline's Supporters in June 64 B.C.

17. <sup>1</sup>Igitur circiter Kalendas Iunias, L. Caesare et C. Figulo consulibus, primo singulos appellare, hortari alios, alios temptare; opes suas, inparatam rem publicam, magna praemia coniurationis docere. <sup>2</sup>Ubi satis explorata sunt quae voluit, in unum omnis convocat quibus maxuma necessitudo et plurimum audaciae inerat. <sup>3</sup>Eo convenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Ser. Sullae Ser. filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius; <sup>4</sup>praeterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius; ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. <sup>5</sup>Erant praeterea complures paulo occultius consili huiusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur quam inopia aut alia necessitudo. <sup>6</sup>Ceterum iuventus pleraque, sed maxime nobilium, Catilinae inceptis favebat; quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum quam pacem malebant. <sup>7</sup>Fuere item ea tempestate qui crederent M. Licinium Crassum non ignarum eius consili fuisse; quia Cn. Pompeius invisus ipsi magnum exercitum ductabat, cuiusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere, simul confisum, si coniuratio valisset, facile apud illos principem se fore.

p. 33

### Failed Earlier Conspiracy in 66 B.C.

18. <sup>1</sup>Sed antea item coniuravere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina; <sup>2</sup>de qua quam verissime potero dicam. L. Tullo et M'. Lepido consulibus, P. Autronius et P. Sulla, designati consules, legibus ambitus interrogati, poenas dederant. <sup>3</sup>Post paulo Catilina pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat consulatum petere, quod intra legitimos dies profiteri nequiverat. <sup>4</sup>Erat eodem tempore Cn. Piso, adulescens nobilis, summae audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rem publicam inopia atque



mali mores stimulabant. <sup>5</sup>Cum hoc Catilina et Autronius, circiter Nonas Decembris consilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Ianuariis L. Cottam et L. Torquatam consules interficere, ipsi fascibus correptis Pisonem cum exercitu ad optinendas duas Hispanias mittere. <sup>6</sup>Ea re cognita, rursus in Nonas Februarias consilium caedis transtulerant. <sup>7</sup>Iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur. <sup>8</sup>Quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem Romam pessimum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res consilium diremit.

#### **Conspirator Gnaeus Piso Murdered in Spain**

**19.** <sup>1</sup>Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est, adnitente Crasso, quod eum infestum inimicum Cn. Pompeio cognoverat. <sup>2</sup>Neque tamen senatus provinciam invitus dederat, quippe foedum hominem a re publica procul esse volebat; simul, quia boni complures praesidium in eo putabant, et iam tum potentia Pompei formidulosa erat. <sup>3</sup>Sed is Piso in provincia ab equitibus Hispanis quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. <sup>4</sup>Sunt qui ita dicant, imperia eius iniusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati; <sup>5</sup>alii autem equites illos, Cn. Pompei veteres fidosque clientis, voluntate eius Pisonem adgressos; numquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia saeva multa antea perpressos. Nos eam rem in medio relinquemus. <sup>6</sup>De superiore coniuratione satis dictum.

#### **Catiline's Stump Speech to his Supporters**

p. 34

**20.** <sup>1</sup>Catilina, ubi eos, quos paulo ante memoravi, convenisse videt, tametsi cum singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens univorsos appellare et cohortari, in abditam partem aedium secedit atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem huiusmodi habuit:

#### **A Big Enterprise is about to be Undertaken**

<sup>2</sup>“Ni virtus fidesque vostra satis spectata mihi forent, nequiquam opportuna res cecidisset; spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent, neque ego per ignaviam aut vana ingenia incerta pro certis captarem. <sup>3</sup>Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortis fidosque mihi, eo animus ausus est maximum atque pulcherrimum facinus incipere, simul quia vobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi: <sup>4</sup>nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.

#### **The Time is Right to Seize Power**

<sup>5</sup>“Sed ego quae mente agitavi omnes iam antea divorsi audistis. <sup>6</sup>Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum considero quae condicio vitae

futura sit, nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem. <sup>7</sup>Nam postquam res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit, semper illis reges, tetrarchae vectigales esse, populi, nationes stipendia pendere; ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, volgus fuimus sine gratia, sine auctoritate, eis obnoxii quibus, si res publica valeret, formidini essemus. <sup>8</sup>Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos sunt aut ubi illi volunt; nobis reliquere pericula, repulsas, iudicia, egestatem. <sup>9</sup>Quae quousque tandem patiemini, o fortissimi viri? Nonne emori per virtutem praestat quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere? <sup>10</sup>Verum enim vero, pro deum atque hominum fidem, victoria in manu nobis est. Viget aetas, animus valet; contra illis annis atque divitiis omnia consenuerunt. Tantum modo incepto opus est; cetera res expediet. <sup>11</sup>Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest illis divitias superare quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse? <sup>12</sup>Cum tabulas, signa, toreumata emunt, nova diruunt, alia aedificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa lubidine divitias suas vincere nequeunt. <sup>13</sup>At nobis est domi inopia, foris aes alienum, mala res, spes multo asperior; denique, quid relicui habemus, praeter miseram animam?

#### **Victory will Bring Rewards**

<sup>14</sup>“Quin igitur expergiscimini? En illa, illa quam saepe optastis, libertas, praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt; fortuna omnia ea victoribus praemia posuit. <sup>15</sup>Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis quam oratio mea vos hortantur. <sup>16</sup>Vel imperatore vel milite me utimini; neque animus neque corpus a vobis aberit. <sup>17</sup>Haec ipsa, ut spero, vobiscum una consul agam, nisi forte me animus fallit et vos servire magis quam imperare parati estis.”

#### **The Rewards Promised by Catiline**

p. 35

**21.** <sup>1</sup>Postquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla, tametsi illis quietam movere magna merces videbatur, tamen postulavere plerique ut proponeret quae condicio belli foret, quae praemia armis peterent, quid ubique opis aut spei haberent. <sup>2</sup>Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia quae bellum atque lubido victorum fert. <sup>3</sup>Praeterea esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consili sui participes; petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum; cum eo se consulem initium agendi facturum. <sup>4</sup>Ad hoc maledictis increpabat omnes bonos; suorum unumquemque nominans

laudare; admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae, compluris periculi aut ignominiae, multos victoriae Sullanae, quibus ea praedae fuerat.  
<sup>5</sup>Postquam omnium animos alacris videt, cohortatus ut petitionem suam curae haberent, conventum dimisit.

#### **Blood Oath**

**22.** <sup>1</sup>Fuere ea tempestate qui dicerent Catilinam, oratione habita, cum ad ius iurandum popularis sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse; <sup>2</sup>inde cum post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum, atque eo †dictitare† fecisse quo inter se fidi magis forent, alius alii tanti facinoris conscii. <sup>3</sup>Nonnulli ficta et haec et multa praeterea existumabant ab eis qui Ciceronis invidiam, quae postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris eorum qui poenas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est.

#### **The Conspirator Quintus Curius Leaks Information**

**23.** <sup>1</sup>Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus, quem censores senatu probri gratia moverant. <sup>2</sup>Huic homini non minor vanitas inerat quam audacia; neque reticere quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare, prorsus neque dicere neque facere quicquam pensi habebat. <sup>3</sup>Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo; cui cum minus gratus esset quia inopia minus largiri poterat, repente glorians, maria montisque polliceri coepit, et minari interdum ferro, ni sibi obnoxia foret; postremo ferocius agitare quam solitus erat. <sup>4</sup>At Fulvia, insolentiae Curi causa cognita, tale periculum rei publicae haud occultum habuit, sed sublato auctore de Catilinae coniuratione quae quoque modo audierat compluribus narravit. <sup>5</sup>Ea res in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. <sup>6</sup>Namque antea pleraque nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum quamvis egregius homo novos adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post fuere.

#### **Catiline Loses Election but Presses Ahead with Plans**

**24.** <sup>1</sup>Igitur comitiis habitis, consules declarantur M. Tullius et C. Antonius; quod factum primo popularis coniurationis concusserat. <sup>2</sup>Neque tamen Catilinae furor minuebatur, sed in dies plura agitare, arma per Italiam locis opportunis parare, pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Faesulas ad Manlium quendam portare, qui postea princeps fuit belli faciendi. <sup>3</sup>Ea tempestate plurimos cuiusque generis homines adscivisse sibi dicitur, mulieres etiam aliquot, quae primo ingentis sumptus stupro corporis toleraverant, post, ubi aetas tantummodo quaestui neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant. <sup>4</sup>Per eas se Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel

p. 36

adiungere sibi vel interficere.

#### **The Talented but Corrupt Sempronia**

25. <sup>1</sup>Sed in eis erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. <sup>2</sup>Haec mulier genere atque forma, praeterea viro liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis et Latinis docta, psallere, saltare elegantius quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt.

<sup>3</sup>Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret haud facile discerneres; libido sic accensa ut saepius peteret viros quam peteretur. <sup>4</sup>Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat. <sup>5</sup>Verum ingenium eius haud absurdum: posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.

#### **Curius Keeps Cicero Informed. Catiline Loses Second Election.**

26. <sup>1</sup>His rebus comparatis, Catilina nihilo minus in proximum annum consulatum petebat, sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. <sup>2</sup>Neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant.

<sup>3</sup>Namque a principio consulatus sui multa pollicendo per Fulviam effecerat ut Q. Curius, de quo paulo ante memoravi, consilia Catilinae sibi proderet.

<sup>4</sup>Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat ne contra rem publicam sentiret; circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat. <sup>5</sup>Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio neque insidiae quas consulibus in Campo fecerat prospere cessere, constituit bellum facere et extrema omnia experiri, quoniam quae occulte temptaverat aspera foedaque evenerant.

#### **Armed Supporters Dispatched throughout Italy**

27. <sup>1</sup>Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit; praeterea alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat.

#### **Preparations in Rome for Uprising**

<sup>2</sup>Interea Romae multa simul moliri, consulibus insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere, ipse cum telo esse, item alios iubere, hortari uti semper intenti paratique essent, dies noctisque festinare, vigilare, neque insomniis neque labore fatigari. <sup>3</sup>Postremo, ubi multa agitantibus nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam, <sup>4</sup>ibique multa de ignavia eorum questus, docet se Manlium praemisisse ad eam multitudinem quam ad capiunda arma paraverat, item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent, seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset;

p. 37

eum suis consiliis multum officere.

#### **Thwarted Attempt to Murder Cicero**

**28.** <sup>1</sup>Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius senator constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem, ac de improvviso domi suae imparatum confodere. <sup>2</sup>Curius ubi intellegit quantum periculum consuli impendat, propere per Fulviam Ciceroni dolum qui parabatur enuntiat. <sup>3</sup>Ita illi ianua prohibiti tantum facinus frustra susceperant.

#### **Conspirator Manlius recruits Malcontents in Etruria**

<sup>4</sup>Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare egestate simul ac dolore iniuriarum novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat, praeterea latrones cuiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat, nonnullos ex Sullanis coloniis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil relicui fecerat.

#### **Senate Arms Consuls with Emergency Powers**

**29.** <sup>1</sup>Ea cum Ciceroni nuntiarentur, ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Manlii quantus aut quo consilio foret satis compertum habebat, rem ad senatum refert, iam antea vulgi rumoribus exagitata. <sup>2</sup>Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit darent operam consules ne quid res publica detrimenti caperet. <sup>3</sup>Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque civis, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nullius earum rerum consuli ius est.

#### **Senate Learns of Uprising in Etruria**

**30.** <sup>1</sup>Post paucos dies L. Saenius senator in senatu litteras recitavit, quas Faesulis adlatas sibi dicebat, in quibus scriptum erat C. Manlium arma cepisse cum magna multitudine ante diem VI Kalendas Novembris. <sup>2</sup>Simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nuntiabant, alii conventus fieri, arma portari, Capuae atque in Apulia servile bellum moveri.

#### **Senate Dispatches Commanders, Offers Rewards for Betrayal of Conspiracy**

<sup>3</sup>Igitur senati decreto Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca missi—<sup>4</sup>hi utrique ad urbem imperatores erant, impediti ne triumpharent calumnia paucorum quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat—, <sup>5</sup>sed praetores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum, eisque permissum uti pro tempore atque periculo exercitum compararent. <sup>6</sup>Ad hoc, si quis indicavisset de coniuratione

quae contra rem publicam facta erat, praemium servo libertatem et sestertia centum, libero inpunitatem eius rei et sestertia ducenta [milia];<sup>7</sup> itemque decrevere uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur pro cuiusque opibus, Romae per totam urbem vigiliae haberentur eisque minores magistratus praeesent.

#### Rome Cast into Uncertainty and Gloom

p. 38

**31.** <sup>1</sup>Quibus rebus permota civitas atque inmutata urbis facies erat. Ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit: <sup>2</sup>festinare, trepidare, neque loco nec homini cuiquam satis credere, neque bellum gerere neque pacem habere, suo quisque metu pericula metiri. <sup>3</sup>Ad hoc mulieres, quibus rei publicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, adflectare sese, manus supplices ad caelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare omnia, <omni rumore> pavere, <adripere omnia,> superbia atque deliciis omissis, sibi patriaeque diffidere.

#### Cicero Delivers a Speech against Catiline in the Senate

<sup>4</sup>At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat, tametsi praesidia parabantur et ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paulo. <sup>5</sup>Postremo, dissimulandi causa aut sui expurgandi, sicut iurgio laccessitus foret, in senatum venit. <sup>6</sup>Tum M. Tullius consul, sive praesentiam eius timens, sive ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem rei publicae, quam postea scriptam edidit. <sup>7</sup>Sed ubi ille adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplicis postulare a patribus coepit ne quid de se temere crederent; ea familia ortum, ita se ab adolescentia vitam instituisse ut omnia bona in spe haberet; ne existumarent sibi patricio homini, cuius ipsius atque maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita re publica opus esse, cum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romae. <sup>8</sup>Ad hoc maledicta alia cum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. <sup>9</sup>Tum ille furibundus: “Quoniam quidem circumventus,” inquit, “ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam.”

#### Catiline Departs from Rome

**32.** <sup>1</sup>Deinde se ex curia domum proripuit. Ibi multa ipse secum volvens, quod neque insidiae consuli procedebant et ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam, optimum factu credens exercitum augere ac, prius quam legiones scriberentur, multa antecapere quae bello usui forent, nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. <sup>2</sup>Sed Cethego atque Lentulo ceterisque quorum cognoverat promptam audaciam mandat quibus rebus possent opes factionis confirmant, insidias consuli maturent, caedem, incendia aliaque belli facinora parent: sese propediem cum magno exercitu ad urbem accessurum.

### Shift of Scene from Rome to Etruria

<sup>3</sup>Dum haec Romae geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Marcium Regem mittit cum mandatis huiusmodi:

### Grievances Sent by Manlius to Marcus Rex

**33.** <sup>1</sup>“Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate feneratorum plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus; neque cuiquam nostrum licuit more maiorum lege uti, neque amisso patrimonio liberum corpus habere: tanta saevitia feneratorum atque praetoris fuit.

<sup>2</sup>Saepe maiores vostrum, miseriti plebis Romanae, decretis suis inopiae eius opitulati sunt; ac novissime memoria nostra propter magnitudinem aeris alieni volentibus omnibus bonis argentum aere solutum est. <sup>3</sup>Saepe ipsa plebs, aut dominandi studio permota aut superbia magistratum, armata a patribus secessit. <sup>4</sup>At nos non imperium neque divitias petimus, quarum rerum causa bella atque certamina omnia inter mortalis sunt, sed libertatem, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit. <sup>5</sup>Te atque senatum obtestamur, consulatis miseris civibus, legis praesidium, quod iniquitas praetoris eripuit, restituatis, neve nobis eam necessitudinem inponatis ut quaeramus quonam modo maxime ulti sanguinem nostrum pereamus.”

p. 39

### Marcus Rex Urges Rebels to Lay Down their Arms

**34.** <sup>1</sup>Ad haec Q. Marcus respondit, si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur; ea mansuetudine atque misericordia senatum populi Romani semper fuisse, ut nemo umquam ab eo frustra auxilium petiverit.

### Catiline Claims to be going into Voluntary Exile

<sup>2</sup>At Catilina ex itinere plerisque consularibus, praeterea optumo cuique litteras mittit, se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunae cedere, Massiliam in exilium proficisci, non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti res publica quieta foret neve ex sua contentione seditio oreretur. <sup>3</sup>Ab his longe divorsas litteras Q. Catulus in senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinae redditas dicebat. Earum exemplum infra scriptum est.

### Catiline's Letter to Quintus Catulus

**35.** <sup>1</sup>“L. Catilina Q. Catulo. Egregia tua fides re cognita, grata mihi magnis in meis periculis, fiduciam commendationi meae tribuit. <sup>2</sup>Quam ob rem defensionem in novo consilio non statui parere, satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi, quam me diu fidius veram licet cognoscas. <sup>3</sup>Iniuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriaeque meae privatus statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum

causam pro mea consuetudine suscepi; non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem—et alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret—sed quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum esse sentiebam. <sup>4</sup>Hoc nomine satis honestas pro meo casu spes relicuae dignitatis conservandae sum secutus. <sup>5</sup>Plura cum scribere vellem, nuntiatum est vim mihi parari. <sup>6</sup>Nunc Orestillam commendo tuaeque fidei trado; eam ab iniuria defendas, per liberos tuos rogatus. Haveto.”

#### **Catiline and Manlius Declared Public Enemies**

**36.** <sup>1</sup>Sed ipse paucos dies commoratus apud C. Flaminium in agro Arretino, dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat, cum fascibus atque aliis imperi insignibus in castra ad Manlium contendit. <sup>2</sup>Haec ubi Romae comperta sunt, senatus Catilinam et Manlium hostis iudicat, ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere, praeter rerum capitalium condemnatis. <sup>3</sup>Praeterea decernit uti consules dilectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero urbi praesidio sit.

#### **Conspiracy deeply Rooted, a Sign of the Times**

p. 40

<sup>4</sup>Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maxime miserabile visum est. Cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi otium atque divitiae, quae prima mortales putant, affluerent, fuere tamen cives qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent. <sup>5</sup>Namque duobus senati decretis ex tanta multitudine neque praemio inductus coniurationem patefecerat, neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat: tanta vis morbi atque uti tabes plerosque civium animos invaserat.

#### **Lower Classes Favored Catiline**

**37.** <sup>1</sup>Neque solum illis aliena mens erat qui conscii coniurationis fuerant, sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat. <sup>2</sup>Id adeo more suo videbatur facere. <sup>3</sup>Nam semper in civitate quibus opes nullae sunt bonis invident, malos extollunt; vetera odere, nova exoptant; odio suarum rerum mutari omnia student; turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno. <sup>4</sup>Sed urbana plebes, ea vero praeceps erat de multis causis. <sup>5</sup>Primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxime praestabant, item alii per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes quos flagitium aut facinus domo expulerat, ei Romam sicut in sentinam confluerant. <sup>6</sup>Deinde multi memores Sullanae victoriae, quod ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites ut regio victu atque cultu aetatem agerent, sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. <sup>7</sup>Praeterea iuventus, quae in agris



manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori praetulerat. Eos atque alios omnis malum publicum alebat.<sup>8</sup> Quo minus mirandum est homines egentis, malis moribus, maxuma spe, rei publicae iuxta ac sibi consuluisse.<sup>9</sup> Praeterea quorum victoria Sullae parentes proscripti, bona erepta, ius libertatis inminutum erat, haud sane alio animo belli eventum exspectabant.<sup>10</sup> Ad hoc quicumque aliarum atque senatus partium erant, conturbari rem publicam quam minus valere ipsi malebant.<sup>11</sup> Id <ad>eo malum multos post annos in civitatem revorterat.

#### **Two Extreme Factions Contended for Dominance in Roman Politics**

**38.** <sup>1</sup>Nam, postquam Cn. Pompeio et M. Crasso consulibus tribunicia potestas restituta est, homines adulescentes summam potestatem nacti, quibus aetas animusque ferox erat, coepere senatum criminando plebem exagitare, dein largiundo atque pollicitando magis incendere, ita ipsi clari potentesque fieri.<sup>2</sup> Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas senatus specie pro sua magnitudine.<sup>3</sup> Namque, uti paucis verum absolvam, post illa tempora quicumque rem publicam agitavere honestis nominibus, alii sicuti populi iura defenderent, pars quo senatus auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes pro sua quisque potentia certabant.<sup>4</sup> Neque illis modestia neque modus contentionis erat; utriusque victoriam crudeliter exercebant.

#### **A Powerful Few Gained Upper Hand**

**39.** <sup>1</sup>Sed postquam Cn. Pompeius ad bellum maritimum atque Mithridaticum missus est, plebis opes imminutae, paucorum potentia crevit.<sup>2</sup> Ei magistratus, provincias aliaque omnia tenere; ipsi innoxii, florentes, sine metu aetatem agere ceterosque iudiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent.<sup>3</sup> Sed ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est, vetus certamen animos eorum adrexit.<sup>4</sup> Quod si primo proelio Catilina superior aut aequa manu discessisset, profecto magna clades atque calamitas rem publicam oppressisset, neque illis qui victoriam adepti forent diutius ea uti licuisset, quin defessis et exanguibus qui plus posset imperium atque libertatem extorqueret.<sup>5</sup> Fuere tamen extra coniurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt. In eis erat Fulvius, senatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari iussit.

#### **Publius Lentulus directs Conspirators in Catiline's Absence**

<sup>6</sup>Isdem temporibus Romae Lentulus, sicuti Catilina praeceperat, quoscumque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se aut per alios sollicitabat; neque solum civis, sed cuiusque modi genus hominum, quod modo bello usui foret.

p. 41

#### **Attempt to Enlist the Allobroges as Allies**

40. <sup>1</sup>Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat uti legatos Allobrogum requirat eosque, si possit, inpellat ad societatem belli, existumans publice privatimque aere alieno oppressos, praeterea quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse. <sup>2</sup>Umbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatum notus erat atque eos noverat. Itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percontatus pauca de statu civitatis et quasi dolens eius casum, requirere coepit quem exitum tantis malis sperarent. <sup>3</sup>Postquam illos videt queri de avaritia magistratum, accusare senatum quod in eo auxilii nihil esset, miseris suis remedium mortem exspectare, “At ego,” inquit, “vobis, si modo viri esse voltis, rationem ostendam qua tanta ista mala effugiatis.” <sup>4</sup>Haec ubi dixit, Allobroges in maxumam spem adducti Umbrenum orare uti sui misereretur: nihil tam asperum neque tam difficile esse quod non cupidissime facturi essent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret. <sup>5</sup>Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat neque aliena consili propter Semproniam; nam tum Brutus ab Roma aberat. <sup>6</sup>Praeterea Gabinium arcessit, quo maior auctoritas sermoni inesset; eo praesente coniurationem aperit, nominat socios, praeterea multos cuiusque generis innocuos, quo legatis animus amplior esset; deinde eos pollicitos operam suam domum dimittit.

#### **Allobroges Agree to Betray the Conspiracy**

41. <sup>1</sup>Sed Allobroges diu in incerto habuere quidnam consilii caperent. <sup>2</sup>In altera parte erat aes alienum, studium belli, magna merces in spe victoriae; at in altera maiores opes, tuta consilia, pro incerta spe certa praemia. <sup>3</sup>Haec illis volventibus, tandem vicit fortuna rei publicae. <sup>4</sup>Itaque Q. Fabio Sangae, cuius patrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem uti cognoverant aperiunt. <sup>5</sup>Cicero per Sangam consilio cognito legatis praecipit ut studium coniurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur, dentque operam uti eos quam maxime manifestos habeant.

p. 42

#### **Disturbances in Gaul and Italy**

42. <sup>1</sup>Isdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. <sup>2</sup>Namque illi, quos ante Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementia cuncta simul agebant: nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia, plus timoris quam periculi effecerant. <sup>3</sup>Ex eo numero compluris Q. Metellus Celer praetor, ex senatus consulto causa cognita, in vincula coniecerat, item in citeriore Gallia C. Murena, qui ei provinciae legatus praeerat.

### Plans for Arson and Murder in Rome

43. <sup>1</sup>At Romae Lentulus cum ceteris qui principes coniurationis erant, paratis ut videbatur magnis copiis, constituerant uti, cum Catilina in agrum †Faesulanum† cum exercitu venisset, L. Bestia tribunus plebis contione habita quereretur de actionibus Ciceronis bellique gravissimi invidiam optumo consuli inponeret; eo signo proxima nocte cetera multitudo coniurationis suum quodque negotium exsequeretur. <sup>2</sup>Sed ea divisa hoc modo dicebantur: Statilius et Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad consulem ceterosque quibus insidiae parabantur fieret; Cethegus Ciceronis ianuam obsideret eumque vi aggredere; alius autem alium, sed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars erat, parentis interficerent; simul, caede et incendio percussis omnibus, ad Catilinam erumperent. <sup>3</sup>Inter haec parata atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum: illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere; facto, non consulto in tali periculo opus esse, seque, si pauci adiuvent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. <sup>4</sup>Natura ferox, vehemens, manu promptus erat, maxumum bonum in celeritate putabat.

### Allobroges Extract Written Evidence of Conspiracy

44. <sup>1</sup>Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt. Ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant ius iurandum quod signatum ad civis perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. <sup>2</sup>Ceteri nihil suspicantes dant; Cassius semet eo brevi venturum pollicetur ac paulo ante legatos ex urbe proficiscitur. <sup>3</sup>Lentulus cum eis T. Volturcium quendam Crotoniensem mittit ut Allobroges, prius quam domum pergerent, cum Catilina data atque accepta fide societatem confirmarent. <sup>4</sup>Ipse Volturcio litteras ad Catilinam dat, quarum exemplum infra scriptum est:

### Publius Lentulus' Letter to Catiline

<sup>5</sup>“Qui sim ex eo quem ad te misi cognosces. Fac cogites in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse. Consideres quid tuae rationes postulent; auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.”

### Message for Oral Delivery to Catiline

<sup>6</sup>Ad hoc mandata verbis dat: cum ab senatu hostis iudicatus sit, quo consilio servitia repudiet? In urbe parata esse quae iusserit; ne cunctetur ipse propius accedere.

### Arrest on the Mulvian Bridge

45. <sup>1</sup>His rebus ita actis, constituta nocte qua proficiscerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco et C. Pomptino praetoribus

p. 43

imperat ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant. Rem omnem aperit cuius gratia mittebantur; cetera uti facto opus sit ita agant permittit. <sup>2</sup>Illi, homines militares, sine tumultu praesidiis conlocatis, sicuti praeceptum erat, occulte pontem obsidunt. <sup>3</sup>Postquam ad id loci legati cum Volturcio venerunt et simul utrimque clamor exortus est, Galli, cito cognito consilio, sine mora praetoribus se tradunt. <sup>4</sup>Volturcius primo cohortatus ceteros gladio se a multitudine defendit; deinde, ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinum obtestatus, quod ei notus erat, postremo timidus ac vitae diffidens veluti hostibus sese praetoribus dedit.

#### **Cicero Summons Senate on 3 December**

**46.** <sup>1</sup>Quibus rebus confectis omnia propere per nuntios consuli declarantur. <sup>2</sup>At illum ingens cura atque laetitia simul occupavere. Nam laetabatur intellegens coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse; porro autem anxius erat, dubitans in maximo scelere tantis civibus deprehensis quid facto opus esset; poenam illorum sibi oneri, inpunitatem perdundae rei publicae fore credebat. <sup>3</sup>Igitur confirmato animo vocari ad sese iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, itemque Caeparium Terracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat. <sup>4</sup>Ceteri sine mora veniunt; Caeparius, paulo ante domo egressus, cognito indicio ex urbe profugerat. <sup>5</sup>Consul Lentulum, quod praetor erat, ipse manu tenens in senatum perducit; reliquos cum custodibus in aedem Concordiae venire iubet. <sup>6</sup>Eo senatum advocat, magnaue frequentia eius ordinis Volturcium cum legatis introducit; Flaccum praetorem scrinium cum litteris quas a legatis acceperat eodem adferre iubet.

#### **Evidence Heard. Ringleaders Placed under House Arrest.**

**47.** <sup>1</sup>Volturcius interrogatus de itinere, de litteris, postremo quid aut qua de causa consili habuisset, primo fingere alia, dissimulare de coniuratione; post, ubi fide publica dicere iussus est, omnia uti gesta erant aperit, docetque se, paucis ante diebus a Gabinio et Caepario socium adscitum, nihil amplius scire quam legatos, tantummodo audire solitum ex Gabinio P. Autronium, Ser. Sullam, L. Vargunteium, multos praeterea in ea coniuratione esse. <sup>2</sup>Eadem Galli fatentur ac Lentulum dissimulantem coarguunt praeter litteras sermonibus quos ille habere solitus erat: ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea, se tertium esse cui fatum foret urbis potiri; praeterea ab incenso Capitolio illum esse vicesimum annum, quem saepe ex prodigiis haruspices respondissent bello civili cruentum fore. <sup>3</sup>Igitur perlectis litteris, cum prius omnes signa sua cognovissent, senatus decernit uti abdicato magistratu Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis habeantur. <sup>4</sup>Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius

p. 44

C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Caeparius—nam is paulo ante ex fuga retractus erat—Cn. Terentio senatori traduntur.

#### **Popular Opinion Turns Against Conspirators**

48. <sup>1</sup>Interea plebs, coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente, Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad caelum tollere: veluti ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat. <sup>2</sup>Namque alia belli facinora praedae magis quam detrimento fore, incendium vero crudele, inmoderatum ac sibi maxime calamitosum putabat, quippe cui omnes copiae in usu cotidiano et cultu corporis erant.

#### **Attempt to Implicate Marcus Crassus**

<sup>3</sup>Post eum diem, quidam L. Tarquinius ad senatum adductus erat, quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant. <sup>4</sup>Is cum se diceret indicaturum de coniuratione si fides publica data esset, iussus a consule quae sciret edicere, eadem fere quae Volturcius de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hostium senatum docet; praeterea se missum a M. Crasso, qui Catilinae nuntiaret ne eum Lentulus et Cethegus alique ex coniuratione deprehensi terrerent, eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret et illi facilius e periculo eriperentur. <sup>5</sup>Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia, alii rem incredibilem rati, pars tametsi verum existumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda quam exagitanda videbatur, plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii, conclamant indicem falsum esse, deque ea re postulant uti referatur. <sup>6</sup>Itaque consulente Cicerone frequens senatus decernit Tarquini indicium falsum videri, eumque in vinculis retinendum, neque amplius potestatem faciendam, nisi de eo indicaret cuius consilio tantam rem esset mentitus. <sup>7</sup>Erant eo tempore qui aestumarent indicium illud a P. Autronio machinatum quo facilius, appellato Crasso, per societatem periculi relicuos illius potentia tegeret. <sup>8</sup>Alii Tarquinium a Cicerone inmissum aiebant ne Crassus, more suo suscepto malorum patrociniis, rem publicam conturbaret. <sup>9</sup>Ipsam Crassum ego postea praedicantem audivi tantam illam contumeliam sibi a Cicerone inpositam.

#### **Attempts to Implicate Julius Caesar**

49. <sup>1</sup>Sed isdem temporibus Q. Catulus et C. Piso neque precibus neque gratia neque pretio Ciceronem inpellere potuere uti per Allobroges aut alium indicem C. Caesar falso nominaretur. <sup>2</sup>Nam uterque cum illo gravis inimicitias exercebant: Piso oppugnatus in iudicio pecuniarum repetundarum propter cuiusdam Transpadani supplicium iniustum, Catulus ex petitione pontificatus odio incensus quod extrema aetate, maxumis honoribus usus, ab adolescentulo Caesare victus discesserat. <sup>3</sup>Res autem opportuna videbatur quod is privatim egregia liberalitate, publice maxumis

muneribus, grandem pecuniam debebat. <sup>4</sup>Sed ubi consulem ad tantum facinus inpellere nequeunt, ipsi singillatim circumeundo atque ementiundo quae se ex Volturcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant, usque eo ut nonnulli equites Romani, qui praesidi causa cum telis erant circum aedem Concordiae, seu periculi magnitudine seu animi mobilitate impulsus, quo studium suum in rem publicam clarius esset, egredienti ex senatu Caesari gladio minitarentur.

p. 45

#### **Senate Debates Punishment of Ringleaders on 5 December**

**50.** <sup>1</sup>Dum haec in senatu aguntur et dum legatis Allobrogum et T. Volturcio, conprobato eorum indicio, praemia decernuntur, liberti et pauci ex clientibus Lentuli divorsis itineribus opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant; partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rem publicam vexare soliti erant. <sup>2</sup>Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos, orabat in audaciam, ut grege facto cum telis ad sese inrumperent. <sup>3</sup>Consul ubi ea parari cognovit, dispositis praesidiis ut res atque tempus monebat, convocato senatu refert quid de eis fieri placeat qui in custodiam traditi erant. Sed eos paulo ante frequens senatus iudicaverat contra rem publicam fecisse. <sup>4</sup>Tum D. Iunius Silanus, primus sententiam rogatus quod eo tempore consul designatus erat, de eis qui in custodiis tenebantur et praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumundum decreverat; isque postea, permotus oratione C. Caesaris, pedibus in sententiam Ti. Neronis iturum se dixerat qui de ea re, praesidiis additis, referendum censuerat. <sup>5</sup>Sed Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule, huiusmodi verba locutus est:

#### **Julius Caesar's Speech**

##### **Emotions Interfere with Sound Judgement**

**51.** <sup>1</sup>“Omnis homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. <sup>2</sup>Haud facile animus verum providet ubi illa officiant, neque quisquam omnium lubricum simul et usui paruit. <sup>3</sup>Ubi intenderis ingenium, valet; si lubricum possidet, ea dominatur, animus nihil valet. <sup>4</sup>Magna mihi copia est memorandi, patres conscripti, quae reges atque populi, ira aut misericordia impulsus, male consuluerint; sed ea malo dicere quae maiores nostri contra lubricum animi sui recte atque ordine fecere. <sup>5</sup>Bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque advorsa nobis fuit. Sed postquam bello confecto de Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis divitiarum magis quam iniuriae causa bellum inceptum diceret, impunitos eos dimiserunt. <sup>6</sup>Item bellis Punicis omnibus, cum saepe Carthaginenses et in pace et per inducias multa nefaria facinora fecissent, numquam ipsi per occasionem talia fecere: magis quid se dignum foret quam quid in illos iure fieri posset quaerebant.

<sup>7</sup>Hoc item vobis providendum est, patres conscripti, ne plus apud vos valeat P. Lentuli et ceterorum scelus quam vostra dignitas, neu magis irae vestrae quam famae consulatis. <sup>8</sup>Nam si digna poena pro factis eorum reperitur, novom consilium adprobo; sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, his utendum censeo quae legibus comparata sunt.

#### **Power Must be Exercized Responsibly**

p. 46

<sup>9</sup>“Plerique eorum qui ante me sententias dixerunt composite atque magnifice casum rei publicae miserati sunt. Quae belli saevitia esset, quae victis acciderent, enumeravere: rapti virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati quae victoribus conlibuissent; fana atque domos spoliari; caedem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. <sup>10</sup>Sed, per deos immortalis, quo illa oratio pertinuit? An uti vos infestos coniurationi faceret? Scilicet quem res tanta et tam atrox non permovit, eum oratio accendet! <sup>11</sup>Non ita est; neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur; multi eas gravius aeque habuere. <sup>12</sup>Sed alia aliis licentia est, patres conscripti. Qui demissi in obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna pares sunt. Qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. <sup>13</sup>Ita in maxuma fortuna minuma licentia est: neque studere, neque odisse, sed minime irasci decet. <sup>14</sup>Quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. <sup>15</sup>Equidem ego sic existumo, patres conscripti, omnis cruciatus minores quam facinora illorum esse. Sed plerique mortales postrema meminere, et, in hominibus impiis sceleris eorum obliti, de poena disserunt, si ea paulo severior fuit.

#### **Death Penalty Not Appropriate**

<sup>16</sup>“D. Silanum, virum fortem atque strenuum, certo scio quae dixerit studio rei publicae dixisse, neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere: eos mores, eamque modestiam viri cognovi. <sup>17</sup>Verum sententia eius mihi non crudelis—quid enim in talis homines crudele fieri potest?—sed aliena a re publica nostra videtur. <sup>18</sup>Nam profecto aut metus aut iniuria te subegit, Silane, consulem designatum, genus poenae novom decernere. <sup>19</sup>De timore supervacuaneum est disserere, cum praesertim diligentia clarissimi viri consulis tanta praesidia sint in armis. <sup>20</sup>De poena possum equidem dicere, id quod res habet, in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curae neque gaudio locum esse. <sup>21</sup>Sed, per deos immortalis, quam ob rem in sententiam non addidisti uti prius verberibus in eos animadvorteretur? <sup>22</sup>An quia lex Porcia vetat? At aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti iubent. <sup>23</sup>An quia gravius

est verberari quam necari? Quid autem acerbum aut nimis grave est in homines tanti facinoris convictos? <sup>24</sup>Sin quia levius est, qui convenit in minore negotio legem timere, cum eam in maiore neglexeris?

#### **Setting a Bad Precedent Must Be Avoided**

<sup>25</sup>“At enim quis reprehendet quod in parricidas rei publicae decretum erit? Tempus, dies, fortuna, cuius libido gentibus moderatur. Illis merito accidet quicquid evenerit; <sup>26</sup>ceterum vos, patres conscripti, quid in alios statuatis considerate. <sup>27</sup>Omnia mala exempla ex rebus bonis orta sunt. Sed ubi imperium ad ignaros eius aut minus bonos pervenit, novom illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur.

<sup>28</sup>Lacedaemonii devictis Atheniensibus triginta viros imposuere qui rem publicam eorum tractarent. <sup>29</sup>Ei primo coepere pessimum quemque et omnibus invisum indemnatum necare: ea populus laetari et merito dicere fieri. <sup>30</sup>Post, ubi paulatim licentia crevit, iuxta bonos et malos lubricinose interficere, ceteros metu terrere. <sup>31</sup>Ita civitas, servitute oppressa, stultae laetitiae gravis poenas dedit. <sup>32</sup>Nostra memoria, victor Sulla cum Damasippum et alios eius modi, qui malo rei publicae creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? Homines scelestos et factiosos, qui seditionibus rem publicam exagitaverant, merito necatos aiebant. <sup>33</sup>Sed ea res magnae initium cladis fuit. Nam uti quisque domum aut villam, postremo vas aut vestimentum alicuius concupiverat, dabat operam ut is in proscriptorum numero esset. <sup>34</sup>Ita illi quibus Damasippi mors laetitiae fuerat paulo post ipsi trahebantur, neque prius finis iugulandi fuit quam Sulla omnis suos divitiis explevit. <sup>35</sup>Atque ego haec non in M. Tullio neque his temporibus vereor; sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. <sup>36</sup>Potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi. Ubi hoc exemplo per senatus decretum consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet aut quis moderabitur?

p. 47

#### **The Laws Forbid Summary Execution**

<sup>37</sup>“Maiores nostri, patres conscripti, neque consili neque audaciae umquam eguere; neque illis superbia obstabat quominus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur. <sup>38</sup>Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratum ab Tuscis pleraque sumpserunt; postremo, quod ubique apud socios aut hostis idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequabantur: imitari quam invidere bonis malebant. <sup>39</sup>Sed eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, verberibus animadvortebant in civis, de condemnatis summum supplicium sumebant. <sup>40</sup>Postquam res publica adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia huiusmodi fieri coepere, tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est. <sup>41</sup>Hanc ego causam, patres



conscripti, quominus novom consilium capiamus in primis magnam puto.

<sup>42</sup>Profecto virtus atque sapientia maior illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus.

#### **Recommendation of Imprisonment**

<sup>43</sup>“Placet igitur eos dimitti et augeri exercitum Catilinae? Minime. Sed ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia quae maxime opibus valent, neu quis de eis postea ad senatum referat neve cum populo agat; qui aliter fecerit, senatum existumare eum contra rem publicam et salutem omnium facturum.”

#### **Caesar’s Speech Wins Support**

**52.** <sup>1</sup>Postquam Caesar dicundi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie adsentiebantur. At M. Porcius Cato rogatus sententiam huiuscemodi orationem habuit:

#### **Marcus Cato’s Speech The Issue is One of Life and Death**

<sup>2</sup>“Longe mihi alia mens est, patres conscripti, cum res atque pericula nostra considero et cum sententias nonnullorum ipse mecum reputo. <sup>3</sup>Illi mihi disseruisse videntur de poena eorum qui patriae, parentibus, aris atque focus suis bellum paravere; res autem monet cavere ab illis magis quam quid in illos statuamus consultare. <sup>4</sup>Nam cetera maleficia tum persequare ubi facta sunt; hoc nisi provideris ne accidat, ubi evenit, frustra iudicia implores: capta urbe nihil fit relicui victis. <sup>5</sup>Sed, per deos immortalis, vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris quam rem publicam fecistis: si ista, cuiuscumque modi sunt, quae amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium praebere voltis, expergiscimini aliquando et capessite rem publicam. <sup>6</sup>Non agitur de vectigalibus neque de sociorum iniuriis; libertas et anima nostra in dubio est.

p. 48

#### **Moral Depravity has Corrupted the Meaning of Words**

<sup>7</sup>“Saepenumero, patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci; saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque mortalis ea causa advorsos habeo. <sup>8</sup>Qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. <sup>9</sup>Sed ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen res publica firma erat: opulentia neglegentiam tolerabat. <sup>10</sup>Nunc vero non id agitur bonisne an malis moribus vivamus, neque quantum aut quam magnificum imperium populi Romani sit, sed haec, cuiuscumque modi videntur, nostra an nobiscum una hostium futura sint. <sup>11</sup>Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat? Iampridem equidem nos vera vocabula rerum amisimus: quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo

vocatur, eo res publica in extremo sita est. <sup>12</sup>Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis; sint misericordes in furibus aerari; ne illi sanguinem nostrum largiantur et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant.

#### **Caesar's Recommendation is No Solution**

<sup>13</sup>“Bene et composite C. Caesar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, credo, falsa existumans ea quae de inferis memorantur, divorso itinere malos a bonis loca taetra, inculta, foeda atque formidulosa habere. <sup>14</sup>Itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos, videlicet timens ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis aut a multitudine conducta per vim eripiantur: <sup>15</sup>quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe et non per totam Italiam sint, aut non ibi plus possit audacia ubi ad defendendum opes minores sunt. <sup>16</sup>Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit; si in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert me mihi atque vobis timere. <sup>17</sup>Quare cum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote vos simul de exercitu Catilinae et de omnibus coniuratis decernere. <sup>18</sup>Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit; si paululum modo vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt.

#### **Present Generation is Morally Bankrupt**

<sup>19</sup>“Nolite existumare maiores nostros armis rem publicam ex parva magnam fecisse. <sup>20</sup>Si ita res esset, multo pulcherrumam eam nos haberemus, quippe sociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum maior copia nobis quam illis est. <sup>21</sup>Sed alia fuere quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque lubidini obnoxius. <sup>22</sup>Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum; omnia virtutis praemia ambitio possidet. <sup>23</sup>Neque mirum: ubi vos separatim sibi quisque consilium capit, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae aut gratiae servitis, eo fit ut impetus fiat in vacuam rem publicam.

p. 49

#### **To Show Pity Will Bring About Ruin**

<sup>24</sup>“Sed ego haec omitto. Coniuravere nobilissimi cives patriam incendere; Gallorum gentem infestissimam nomini Romano ad bellum arcessunt; dux hostium cum exercitu supra caput est: <sup>25</sup>vos cunctamini etiam nunc et dubitatis quid intra moenia deprehensis hostibus faciatis? <sup>26</sup>Misereamini, censeo: deliquere homines adulescentuli per ambitionem; atque etiam armatos dimittatis; <sup>27</sup>ne ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam convortat. <sup>28</sup>Scilicet res ipsa aspera est, sed vos non timetis eam. Immo vero maxime; sed inertia et mollitia animi alius alium expectantes cunctamini, videlicet dis immortalibus confisi qui hanc

rem publicam saepe in maxumis periculis servavere. <sup>29</sup>Non votis neque suppliciiis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agundo, bene consulundo prospere omnia cedunt. Ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, nequiquam deos implores; irati infestique sunt.

#### **No Extenuating Circumstances**

<sup>30</sup>“Apud maiores nostros A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverit, necari iussit, <sup>31</sup>atque ille egregius adulescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit; vos de crudelissimis parricidis quid statuatis cunctamini? Videlicet cetera vita eorum huic sceleri obstat. <sup>32</sup>Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si dis aut hominibus umquam ullis pepercit; <sup>33</sup>ignoscite Cethegi adulescentiae, nisi iterum patriae bellum fecit. <sup>34</sup>Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Caepario loquar? quibus si quicquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de re publica habuissent.

#### **Danger Imminent**

<sup>35</sup>“Postremo, patres conscripti, si mehercule peccato locus esset, facile paterer vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis. Sed undique circumventi sumus; Catilina cum exercitu faucibus urget; alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes, neque parari neque consuli quicquam potest occulte: quo magis properandum est.

#### **Ringleaders Must Be Executed**

<sup>36</sup>“Quare ego ita censeo: cum nefario consilio sceleratorum civium res publica in maxuma pericula venerit, eique indicio T. Volturci et legatorum Allobrogum convicti confessique sint caedem, incendia, aliaque se foeda atque crudelia facinora in civis patriamque paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum supplicium sumundum.”

#### **Senate Adopts Cato's Proposal**

**53.** <sup>1</sup>Postquam Cato adsedit, consulares omnes itemque senatus magna pars sententiam eius laudant, virtutem animi ad caelum ferunt; alii alios increpantes timidos vocant. Cato clarus atque magnus habetur; senati decretum fit sicuti ille censuerat.

p. 50

#### **A Few Gifted Leaders Made Rome Great**

<sup>2</sup>Sed mihi multa legenti, multa audienti quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra, praeclara facinora fecit, forte lubuit adtendere quae res maxime tanta negotia sustinisset. <sup>3</sup>Sciebam saepenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse; cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus; ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse; facundia Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse. <sup>4</sup>Ac mihi multa agitati constabat paucorum civium egregiam virtutem

cuncta patravisse, eoque factum uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. <sup>5</sup>Sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus res publica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat ac, sicuti effeta <vi> parentum, multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit. <sup>6</sup>Sed memoria mea ingenti virtute, divorsis moribus fuere viri duo, M. Cato et C. Caesar. Quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possum, aperirem.

#### Caesar and Cato Compared

54. <sup>1</sup>Igitur eis genus, aetas, eloquentia, prope aequalia fuere; magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. <sup>2</sup>Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat. <sup>3</sup>Caesar dando, sublevando, ignoscendo, Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat, in altero malis pernicies. Illius facilitas, huius constantia laudabatur. <sup>4</sup>Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus sua neglegere, nihil denegare quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novom exoptabat ubi virtus enitescere posset. <sup>5</sup>At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxume severitatis erat. <sup>6</sup>Non divitiis cum divite neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinencia certabat. Esse quam videri bonus malebat; ita, quo minus petebat gloriam, eo magis illum assequebatur.

#### Ringleaders Executed

55. <sup>1</sup>Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit, consul optimum factu ratus noctem quae instabat antecapere ne quid eo spatio novaretur, tres viros quae [ad] supplicium postulabat parare iubet; <sup>2</sup>ipse, praesidiis dispositis, Lentulum in carcerem deducit; idem fit ceteris per praetores. <sup>3</sup>Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur, ubi paululum ascenderis ad laevam, circiter duodecim pedes humi depressus. <sup>4</sup>Eum muniunt undique parietes atque insuper camera lapideis fornicibus iuncta; sed incultu, tenebris, odore foeda atque terribilis eius facies est. <sup>5</sup>In eum locum postquam demissus est Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. <sup>6</sup>Ita ille patricius ex gente clarissima Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario eodem modo supplicium sumptum est.

p. 51

#### Catiline Forms Army

56. <sup>1</sup>Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia quam et ipse adduxerat et Manlius habuerat, duas legiones instituit; cohortis pro numero militum complet. <sup>2</sup>Deinde, ut quisque voluntarius aut ex sociis in castra

venerat, aequaliter distribuerat, ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat, cum initio non amplius duobus milibus habuisset. <sup>3</sup>Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudis portabant. <sup>4</sup>Sed postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter facere; modo ad urbem, modo Galliam vorsus castra movere; hostibus occasionem pugnandi non dare: sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romae socii incepta patravissent. <sup>5</sup>Interea servitia repudiabat, cuius initio ad eum magnae copiae concurrebant, opibus coniurationis fretus, simul alienum suis rationibus existumans videri causam civium cum servis fugitivis communicavisse.

#### **News of Executions Produces Desertions**

**57.** <sup>1</sup>Sed postquam in castra nuntius pervenit Romae coniurationem patefactam, de Lentulo et Cethego ceterisque quos supra memoravi supplicium sumptum, plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium inlexerat, dilabuntur; reliquos Catilina per montis asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit, eo consilio uti per tramites occulte perfugeret in Galliam Transalpinam. <sup>2</sup>At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat, ex difficultate rerum eadem illa existumans, quae supra diximus, Catilinam agitare. <sup>3</sup>Igitur, ubi iter eius ex perfugis cognovit, castra propere movit ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. <sup>4</sup>Neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditos in fuga sequeretur. <sup>5</sup>Sed Catilina, postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res advorsas, neque fugae neque praesidi ullam spem, optimum factu ratus in tali re fortunam belli temptare, statuit cum Antonio quam primum configere. <sup>6</sup>Itaque contione advocata huiuscemodi orationem habuit:

#### **Catiline's Pre-battle Address to Troops**

**58.** <sup>1</sup>“Conpertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. <sup>2</sup>Quanta cuiusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Quem neque gloria neque pericula excitant, nequiquam hortere; timor animi auribus officit. <sup>3</sup>Sed ego vos quo pauca monerem advocavi, simul uti causam mei consili aperirem.

#### **Circumstances Make Battle Unavoidable**

<sup>4</sup>“Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi nobisque cladem attulerit, quoque modo, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. <sup>5</sup>Nunc vero quo loco res nostrae sint iuxta mecum omnes intellegitis. <sup>6</sup>Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant. Diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti

p. 52

atque aliarum rerum egestas prohibet. <sup>7</sup>Quocumque ire placet, ferro iter aperiendum est. <sup>8</sup>Quapropter vos moneo uti forti atque parato animo sitis et, cum proelium inibitis, memineritis vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare. <sup>9</sup>Si vincimus, omnia nobis tuta erunt; commeatus abunde, municipia atque coloniae patebunt. <sup>10</sup>Si metu cesserimus, eadem illa adversa fient, neque locus neque amicus quisquam teget quem arma non texerint. <sup>11</sup>Praeterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet: nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus; illis supervacuaneum est pugnare pro potentia paucorum. <sup>12</sup>Quo audacius adgredimini, memores pristinae virtutis. <sup>13</sup>Licuit vobis cum summa turpitudine in exilio aetatem agere; potuistis nonnulli Romae, amissis bonis, alienas opes expectare. <sup>14</sup>Quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi decrevistis. <sup>15</sup>Si haec relinquere voltis, audacia opus est; nemo nisi victor pace bellum mutavit. <sup>16</sup>Nam in fuga salutem sperare, cum arma quibus corpus tegitur ab hostibus avorteris, ea vero dementia est. <sup>17</sup>Semper in proelio eis maximum est periculum qui maxime timent; audacia pro muro habetur.

#### **Good Reason to Hope for Victory**

<sup>18</sup>“Cum vos considero, milites, et cum facta vostra aestumo, magna me spes victoriae tenet. <sup>19</sup>Animus, aetas, virtus vestra me hortantur, praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortis facit. <sup>20</sup>Nam multitudo hostium ne circumvenire queat prohibent angustiae loci. <sup>21</sup>Quod si virtuti vestrae fortuna inviderit, cavete inulti animam amittatis, neu capti potius sicuti pecora trucidemini quam virorum more pugnantem cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.”

#### **Catiline Marshalls his Forces**

**59.** <sup>1</sup>Haec ubi dixit, paululum commoratus, signa canere iubet atque instructos ordines in locum aequum deducit. Dein, remotis omnium equis quo militibus exaequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruit. <sup>2</sup>Nam uti planities erat inter sinistros montis et ab dextra rupe <m> aspera <m> octo cohortis in fronte constituit, relicuarum signa in subsidio artius conlocat. <sup>3</sup>Ab eis centuriones, omnes lectos et evocatos, praeterea ex gregariis militibus optimum quemque armatum in primam aciem subducit. C. Manlium in dextra, Faesulanum quendam in sinistra parte curare iubet: ipse cum libertis et colonis propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur.

#### **Marcus Petreius Commands Opposing Army**

<sup>4</sup>At ex altera parte C. Antonius, pedibus aeger, quod proelio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. <sup>5</sup>Ille cohortis veteranas, quas tumulti causa conscripserat, in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat. Ipse equo circumiens unum quemque nominans appellat,

hortatur, rogat ut meminerint se contra latrones inermis pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis certare. <sup>6</sup>Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus aut praefectus aut legatus aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

p. 53

#### **Petreibus Initiates Battle**

**60.** <sup>1</sup>Sed ubi omnibus rebus exploratis Petreibus tuba signum dat, cohortis paulatim incedere iubet; idem facit hostium exercitus. <sup>2</sup>Postquam eo ventum est unde a ferentariis proelium committi posset, maximo clamore cum infestis signis concurrunt; pila omittunt, gladiis res geritur. <sup>3</sup>Veterani, pristinae virtutis memores, cominus acriter instare; illi haud timidi resistunt: maxuma vi certatur. <sup>4</sup>Interea Catilina cum expeditis in prima acie vorsari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis arcessere, omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire; strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur. <sup>5</sup>Petreibus, ubi videt Catilinam contra ac ratus erat magna vi tendere, cohortem praetoriam in medios hostis inducit, eosque perturbatos atque alios alibi resistentis interficit; deinde utrimque ex lateribus ceteros adgreditur. <sup>6</sup>Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt. <sup>7</sup>Catilina postquam fusas copias seque cum paucis relicuom videt, memor generis atque pristinae suae dignitatis, in confertissimos hostis incurrit ibique pugnans confoditur.

#### **Rebels Fought to the Death**

**61.** <sup>1</sup>Sed confecto proelio, tum vero cerneret quanta audacia quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinae. <sup>2</sup>Nam fere quem quisque vivos pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. <sup>3</sup>Pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat, paulo divorsius, sed omnes tamen advorsis volneribus conciderant. <sup>4</sup>Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paululum etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivos, in voltu retinens. <sup>5</sup>Postremo ex omni copia neque in proelio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est: <sup>6</sup>ita cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant. <sup>7</sup>Neque tamen exercitus populi Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus erat; nam strenuissimus quisque aut occiderat in proelio aut graviter volneratus discesserat. <sup>8</sup>Multi autem, qui e castris visundi aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant; fuere item qui inimicos suos cognoscerent. <sup>9</sup>Ita varie per omnem exercitum laetitia, maeror, luctus atque gaudia agitabantur.